

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*



- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Oratio de Christo recens nato Joachimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Hug: Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalpinii suscipienti Frederici Theodori Gorlicio
- VII. Theophrastus in qua ad Dn. Augustum Principem Anhaltinum Thomazij causa servestam nerezum M. Petri a Jena.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelii ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensium.
- II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- III. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Principi Anhaltino sponso scripta.
- XI. Theophrastus in qua ad Dn. Rudolpho Princ: Anhaltino scripta a Collegis Scholae Servestanae.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolphi Princ: Anhaltini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravictoris et Biomeae.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Debaensem Carmen Ξρασμασιων.
- XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vrici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Frederici Widebrami
- XX. Bulla Amuletum M. Bloey.
- XXI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Meudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistrum autum pronuntiata.
- XXIII. Ξρασμασιων Cerevisiae Servestanae Danielis Burchardi.
- XXIV. Dehortatio a Calumnijis
- XXV. Germania ad Principem epistola Ad: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Vesaliensis
- XXVII. Theophrastus in qua ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannem Guac
- XXIX. Trizinta Jeverum M. Christiani Galli Italio-Saxonis.
- XXX. Adami Forweroy Frederici Steseris Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisseri
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valerij ni Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi 4. V. D.
- XXXVII. Eiusdem Johanni Amlingi Nicolai May.



~~1611~~ XCIII.

CARMINA FUNEBRIA.

Manibus Sacratissimis

CATHARINÆ

PEILICKIÆ,

Liplicæ:

Matronæ Nominatissimæ, feminearumque virtutum splen-  
dore commendatissimæ

*Clarissimi, Doctissimi atque Præstantis-  
simi Viri:*

DN. M. HEINRICI KITSCHII,

In Illustri Soraborum Atheneo Philosophiæ  
Moralis Professoris publici.

*Conjugis Desideratissimæ.*

Natæ 3. Januarii 1561.

Denatæ 2. Novembris

Tumulatæ 6. ejusdem Anno 1623.

*Ab*

Adfinibus, Favissoribus, Amicis & Studiosis.

*In Significationem συμπλαθείας erga piæ demortuæ viduum mœstissimum  
solemni nuncupatione oblata & exhibitæ.*

CERE-VESTÆ

Typis DORFFERIANIS descripta

Anno Christiano.

FIDE parVM tVa serVa neC IngratIIs repete tVa.

M DC  
1623



*Socrates apud Platonem.*

**I**N Juventute opera danda, ut benè vivamus : in senectute, ut benè moriamur. Est enim mors verum perfugium, perfecta sanitas, portus securus, victoria integra, caro sine osse, piscis sine spina, frumentum sine paleis. M. Anton. Guevara. Lib. 3. Cap. 15. pag. 65r.

CAR-

I.  
CARMINA FUNEBRIA.

*In obitum & abitum.*

CATHARINÆ PEILICKIÆ,  
Liplicæ &c.  
*Matronæ Honestissimæ.*

**H**oc Catharina cubat cippo Peilickia  
conjunx

Quæ *Kitschi*, notus qui super astra cluet.  
Quem redamant Musæ, colit & quem Divus  
Apollo,

Lipsia, Neuhusiū, quod Sorabiq; probant:  
Fæmina digna viro tanto, Natalibus orta

Claris, quæ morum, quæ pietatis amans.  
Est *Peilickorum* notum genus & quibus usa  
Lipsia consulibus floruit ampla diu:

A 2

Hoc



II.

ALIUD.

**V**Xores lugere viros, meminisse vetustâ  
Lege viri iussi conjugis ac tumuli.  
Ergo tenax prisca Kitschi Clarissime  
moris

Virtutes re colas conjugis usque memor.  
Nam quas tu Cathedra virtutes Ethicus oras,  
Has tibi costa domo protulit alma fide.  
Dotibus hisce micat conjunx defuncta venustis  
Seu collata solo, siue relata polo.  
Felix? quæ scævos defugit temporis æstus  
Ac commotum æstu liquit inane soli.  
Nil reliqui miseris mortalibus æra reliquit,  
Quam fato, & voto subdere cuncta pio  
Vive diu Kitschi canis depromere canas  
Virtutes Cathedrâ pectore & ore Catus.

Cyriacus Herdesianus, J. U. D.

Pandectarum Professor & P. r. facultatis  
Juridicæ Vice Decanus in Academia  
Viadrina Electoriâ.

A 3

Urnam

III.  
ALIUD.



Rnam præsentem quicumq; accesse-  
ris hospes  
Humanæ sortis mortis & esto me-  
mor:

Defuncta en! vita longiq; laboribus ævi  
Hoc *Catharina* jacet *Peilicias* tumulo.  
*Peilicii* merita & famam cognovit Eous,  
Hesperus obstupuit sensit uterq; polus  
Urnæ funde ergo violas & lilia & ossa  
Et venerare sacrum quod tegit illa solum.

JOHANN COPPEN,  
Consil. Anbaldinus in aulâ  
Servestana.

IV.



Uam genus antiquâ commendat stirpe  
Et avorum (vehit.  
Secula, quæ rara Lipsia laude  
Precipuum



*Præcipuum Catharina sui decus ordinis olim,  
Dignaq; Peilicie vincere secla domus  
Hoc ita sub tumulo placidè post fata quiescit,  
Ad superos postquam mens pia fecit iter.  
Juncta maritali quondam hæc tibi fœdere  
Kitschi.*

*Fœcundo thalamo pignera grata tulit  
Quinetiam te illis affini fœdere junxit  
Quorum stat nomen Lipsia donec erit.  
Ergo tibi meritò lethali falcere sectam  
Luges, & thalami vincla soluta gemis.  
Namq; suus meritò tumulis honor, inq; sepultos  
Mens pia cum lacrumis testificanda piis:  
Non tamen absque modo: melior cum vita su-  
per sit*

*Ad quam non dubium mors pia pandit iter  
Siste igitur lacrumas Kitschi suspiria siste,  
Et gemitus mœsti flebile cordis opus  
Nec nimium uxoris luge illud amabile quondam  
Nunc interruptæ fœdus amicitia:*

*Ille*



*Illā beatā novā fruitur dulcedine vitæ  
Mente recepta polo, cum cinē facta solo*

Johannes Sturmius,  
C. A.

V.

*EPITAPHIUM.*



Ub tumulo hoc *Catharina* jacet *Peilic-  
licias*, in quā

Dos animi, generis gloria, fama  
viri

Plebejum sapuere nihil: sic omnia rara

Optare & quæ vix improba vota queant.

Quanta fides animo? quam cauta modestia  
menti?

Quanta fuit niveo pectore simplicitas?

Scilicet antiqui par temporis heroinis

Penelopas vixit, vixit & Andromachas.

Jam quid *Peilichis* Lipsensi clarius urbi est?

Hi sibi *Moestelios* *Oelhaviosq;* ligant

Arque

Atque alios plures virtute & luce potentes  
Qui parvi nequeunt carminis orbe premi.  
Te quoq; KITSIADE niveo rumore per  
Teutoniæ terras natio docta vehit: (omnes  
Ingenii argutum celebrans solertis acumen  
Et pulchram omni genæ notitiam historiæ  
Cum quo sat longos exegit suaviter annos  
Fida tori, rerum sedula, prolis amans  
At tu qui legis hæc, dic *Molliter ossa quiescant.*  
Et rari exemplum conjugii istud habe.

*AUGUSTUS BUCHNERUS,*  
*in Acad. Septemvirali Saxonica*  
*Professor publicus.*

VI.  
*ALIUD.*



*Rogentis esse satum celebri, non ultima  
laus est,  
Major at hanc factis conde corare  
suis*

B

Sangu-

Sanguine Peiliaco sata eras, Catharina, celebri  
Stirpis eras semper lausq<sub>3</sub> decusq<sub>3</sub> tua  
Peilchiadum genus est in signe, vetusq<sub>3</sub> propago,  
Lipsia quam novit cui quoque Dresda, favet.  
Sic generis quondam prestantis nupta maritis  
Aonio quorum est splendida fama choro.  
Nam Catharina jaces generis splendore relicto,  
Claudis & extremo sic tua fata die,  
Non Catharina jaces Christi virtute renata  
**PEILCHIADUM** stirpis lausq<sub>3</sub> decusq<sub>3</sub>  
manes.

Nam tibi caelestis pax est, regnumque perenne,  
Quod nec Caesar habet, nec quoque terra dabit.  
Sufficit acceptum in terris vixisse Jehova,  
Et patriae laudes accumulasse suae  
Desine & uxoris lachrymis urgere sepulcrum,  
Kitschi, non lachrymis est reditura tuis.  
Hoc solamen erit: Letum non omnia finit,  
Uxoris virtus non moritura manet:  
Namq<sub>3</sub> tuo in thalamo pia discessura reliquit  
Conjugii ac fame pignora terna tuae,

Quae



*Quæ tibi nunc lecto vacuo solatia sunt  
Uxor eruntq; tibi, semper amica tibi.*

JOHANNES SAGITTARIUS,  
Dresdensis Philosophiæ & Medi-  
cinæ Doctor.

VII.

*Allusio ad Nomen Proprium  
defunctæ.*

**S**anctorum mors atra piis plerunque vi-  
detur

Perniciosa, sed est sat pretiosa Deo  
Sunt enim in hac rata vota hominum, rata fata  
piorum,

Irrita quæ mundo, sunt rata fata Deo.  
Exemplo hoc CATHARINA probat, quæ gloria  
gentis

PEILICIÆ didicit corde timere Deum  
Conjugis exilio comes addita fida remansit,  
Inq; Palatinis Sospes, at hospes agris.

B 2

Conju-

Conjugii donec lustris bis quattuor actis  
Serevstæ extremum fata tulêre diem  
Noli HEINRICE, nimis gemere aspera funera,  
fœnus  
Inspice, namq; pium fœnera funus habet.  
Quando revicturis melior stat gloria membris  
Vita q; perpetuo sole futura datur.  
Quam tibi, quamq; tuis precor omnibus, arbiter  
Compenset multo fœnore fata Deus. (ævi

*CHRISTIANUS MOLDENARIUS,*  
*D. Poliater Berneburgensis.*



II X.



Uæ fata præclarâ geminorum stirpe  
parentum  
Nobile quâ ostentat Lipsia celsa  
decus:  
Quæ matronalis fuerat CATHARINA pudoris  
Exemplar jacet hoc contumulata solo.  
Nempe suos variis ornavit dotibus ortus:  
Sincera coluit relligione DEUM:

Pectore



Pectore quã tenuit constante, pericla Maritũ  
Per quæcunq; comes fida secuta ducem  
Officiis, Candore animi, Pietate Marito  
Mente, Fide studuit prompta placere suo.  
Namq; domi expressit Vitã studiosa, fideli  
Ipsam quæ scivit Voce docere foris.  
Moribus instruxit generosis sedula Prolem:  
Cauta Domum fida rexit & auxit ope.  
Quĩ possis igitur tam cari pectoris usu  
Qui possis, KITSCHI clare, carere senex?  
Sistere quĩ possis lacrymas, qui funera ficcis  
Luminibus viduus cernere tanta queas?  
Ni, quæ aliis tradis Virtutum arcana, Magistri  
Firmanda exemplo noveris esse boni:  
Nĩ, tibi qui dederat tam raræ Conjugis usum,  
Ut placuit, noris reppetiisse DEUM?

M. PETRUS à JENA,  
Scholæ Patriæ Rector & Il-  
lustris Gymnasii Adjun-  
ctus.

IX.  
MANIBUS PIIS.

B 3

CATHA.

CATHARINÆ PEILIKIÆ.

**M**atronale decus jacet hoc CATHARINA  
sepulchro

Cara Deo, est prolis cara Magistra suæ.  
Cui genus à proavis magnum & memorabile no-  
men,

Peilikium, Oelhafios, Mœsteliosq; loquor  
Lipsia quos jactat, quos vivida fama celebrat,  
Et quorum æternum stat sine morte decus.

Ergo boni lugete omnes, lugete, piisq;  
Manibus exsequias ite frequenter anus.

Ite & vos matres, fletu & simul ora rigate,  
Nam cecidit vestri firma columna chori.

Nec tantum matres in luctus ite, sed ite  
Vos qui estis sexu de potiore Viri.

Ite & vos docti, famâ super æthera noti,  
Et vestris tumulum condecorate metris.

Quin simul hos omnes mœstâ superare querella

Te KITSCHI, in primis Care Marite decet.

KITSCHI, cui primæ texebant ordia famæ  
Symbola, clarorum symbola clara virum.

Nulla fatigabat thalamum discordia vestrum

Una usque ad tumulum mansit utrique fides

Ora





Ora rigare decet, modus at servandus in illo  
Ethnica plebs omni flet sine lege suos.  
Mens alia est nobis, qui Christi nomine ovamus,  
Qui sumus & sacri pars quotacunque chori.  
Humanae vinculis vitae CATHARINA soluta,  
Coram immortali gestit ovatque Deo.  
Deseruit nostras, annis non in diga, terras,  
Rara senectutis tam diuturna mora est,  
Exiit induvias annosi corporis, atque  
Illis depositis caelica regna subit.  
Felix! humanum quae sic bene transigis aevum,  
Et quae tam placida morte peremta cadis  
Nunc capis aeternae caelestia gaudia vitae, (vales?  
Quam bene quam? bellè nunc CATHARINA

M. MARTINUS CRAMERUS,  
*Schola Patriae pro Rector.*

X.

ALIUD.

U T turtur, amissâ, in viduo toro  
Vitam trahendo, compare verberat

Luctu

Luctu gravi frondes, & imos  
Nocte dieque lacus, quiritans  
Sic tu, Dearum castalidum decus  
Sentis dolorem cordivorum: tibi  
Quem conjugis funus 'receptæ  
Ad superos noviter creavit.  
Nec miror: ardoris vehementior  
Nam quo maritæ vis fuerat prius:  
Tantò mariti jam querela  
Est gravior sociâ carentis  
Hanc Jhova flammam mentibus indidit:  
Ut seminis nostra esset amans sui  
Natura. Quare affectiones  
Stoica turba negans valet,  
Et jure lugens, clare vir, optumam  
Costam, fideli remigio precum  
Quæ reppulit periculorum  
Iliadem, Iliadem malorum.  
Heu solvit atrox mors socium torum!  
Ceum ventus altâ vellit ab arbore  
Ramum cadentem, SINGULARI  
NON SINE NUMINIS ARBITRATU.  
Vox allevandis apta doloribus!  
Solamini vox apta ter optimo!

Solvit



Solvit TORUM MORS SINGULARI  
NON SINE NUMINIS ARBITRATU.

Hæc sæpe tecum, pluraque pensites  
Lugens ademptam, VIR pie, Conjugem:

Cui fervidum Christus sacratæ  
Lumine cor fidei rigavit:

Ut copiosâ mortis in horulâ,  
Spe freta, CHRISTI vivere sanguine  
Posit recepta ad sempiternam  
Parte sui meliore sedem:

Ultrâ quid ergo morbida debuit  
Hære terris per crepitantibus  
Sunt hic laborum sunt pericla  
Heu subeunda piis subinde,

Illic polorum gaudia plurima  
Circum volant electa Dei agmina:  
Armata Christi quæ potenti  
Caside sunt, meriti fidelis.

Ergo quieti conjugis optimæ  
Gratare: & absint funere nœniæ.  
Non nœniis hanc vel canore,  
Vel strepitu revocabis ullo.

*Abrahamus Cremerus, Silesius Pastor*

*Ecclesie Lindoviensis, in Anhal-  
tinatu.*

C

Planctus



XI.

Planctus lugubres in obitum Aviaë meæ  
dilectissimæ.



*Non exorandas quoniam læsisse sorores  
Dicam, & funereo pollice fila secent.  
Ecquid commissum est? Num quis ma-  
la retia vestris*

*Instruxit technas insidiasque colis?  
Ecce novercali furitis seu bile perusta:  
Commoda & est vobis hæc laniena domus  
Eheu! nec satis est furibundos fundere planctus,  
Flexilis haud illis ira Deabus erit.  
Concordes nimium, sed discordi ordine, Parca,  
Aurea notis cui stamna furva forent:  
O Mors, ô fera mors, cur vis impercere nulli:  
Invicto vinctum cor ad amante geris  
Omnia cara rapis simul ac tuus osseus horror  
Intravit timido limina nostra pede.*

*Puncta*

*Puncta tua est acie mea dilectissima Mater  
Nunc a via ulterior præda petenda fuit.  
Plangite germani, plorate mea germanæ;  
Plorate, heu eheu littus ut omne sonet  
Heu fletus frustrâ, lachrymoso rore nequimus  
Te trahere ad nitidi specula clara diei  
Ergo vive Deo Ferali nam tua fufci  
Nescia sarcophagi membra manere specu.  
Nos sequimur Forsan (quis enim scit!) parca  
rapacem  
Apposuit dextram vel positura brevis est.*

XII.

*Sonetto.*

**H**omicida dell' alme, MORTE ria,  
Empio Tiranno, che del nostro pianto  
Cagion sei, mentre adesso in dolor tan-  
Ci chiudi, ah! lasso, e con la vita pia (to  
D' osta Matrona quasi toglie via

C 2

Dal

Dal mondo ogni virtu, lasciando in tanto  
Anoi niente altro che lugubre manto  
Or morte pensi che ten' premio fia?  
Ma che? vengo inchinar divoto & piano  
L'urna tua, Nonna, e già senza dimora  
Con lagrime negl'occhi, e fiori in mano.  
Virrai morta fia noi qual viva ogn' hora,  
Finche vorrà quel Grudice sorranno,  
Love havrai viva eterna vita ancora.

XIII.

Un aultre.

**H** Emort! chasqun voyant ton peint image  
Premier qu'il voye ton uray visage  
Te deteste, & si te craint avec horreur:  
Cartes fiers traictz donnent grande terreur.  
Pourquoy sans cause me fays la guerre,  
Et me ravis ma Mere & ma Grandmere?  
Tres cruelles Parques; pourquoy rompes vous

Si

*Si chers filets sans avoir mercy de nous.  
Vous n'espargnes aucun Et vostre ciseau  
Coupe ce qui est cher Et au monde plus beau  
Las! helas! vous me tues beaucoup de biens,  
Mes soulas, lesquels sont aux champs Elysiens.*

Sigismund Gunradt Deuerlin/  
LL. Candidatus pièdenatæ  
avia nepos.

XIV.

ALIUD.

O Te felicem, KITSCHI, cui conjuge ducta  
Adjecta est cordis portio grata tui.  
Altera commodior quâ nulla marita marito  
Quæque fuit cordis cor geniale tui!  
O te infelicem KITSCHI, cui conjuge raptâ  
Abrepta est animæ portio magna tuæ.  
Qua sine semi-animi tibi vita haut vita putanda  
est,  
Quâ quod dulce fuit, quod geniale, ruit!

C 3

Iunu-

Innuptus vates, de me sic sentio: rupta  
Si de me fuerit pars, quis amabo fuam?  
Et rupta & rapta est tibi pars gratisfima, conjux  
Namque unum in corpus corpora bina mi-  
grant.  
Et ruptum & raptum est, dolor heu! de corde  
cor, ossa  
Ossibus & corpus corpore carne caro.  
Conjuge denatâ hinc consors denascitur omnis,  
Sicut & alteruter vivit in alterutro,  
Mortuus ergo mihi, KITSCHI, non vivus ha-  
beris  
Quin costæ in tristi funere funus ades,  
Dimidiatus amor thalami tibi factus amaror,  
Hinc moreris, KITSCHI, nec tamen emoreris  
Lumine vivus ades, vivâ sub imagine corpus  
Seminecemq; animam semi sepultus habes.  
Ut tamen ut vivis moritur tua vivida virtus,  
Donec reddatur vivida vita tibi  
Redde tibi vitam, nimio ne occumbe dolori,  
Qui justo incumbis pollice terge genas,  
Exue pileolum ferali sindone, conjux  
Denata est meritò cur? homo nata fuit  
Dum





Dum vixit, moritura fuit, nunc mortua vivit  
Et luctâ & luctu nunc gemituq; caret.  
Vita via ad mortem, sed mors est janua vitæ  
Et mala mors tollit, nil tenet ipsa mali  
Quæis CHRISTUS vita est hîc funus fænus ha-  
betur,  
In Christo nescit nam pia vita mori.

*FELIX HAUSTADIUS,*  
*Theologiae Studiosus.*

XV.

*LAUS POSTHUMA.*

*Æstimabili Matronarum Margaritæ*

*C. L. Viri,*

DN. M. HEINRICI KITSCHII,  
prædilectæ olim conjugii.

**H**ic si grande bonum dignumque prehensitat  
hymno,

Qui capit uxorem, quæ probitate nitet.

Cur

Cur' minus est idem lacrumarum rore dolendus

Comparis expertis naufraga damna probæ?

KITSCHIUS (ha eleleu?) probat argumenta do-

lorum

A modò dilectæ cassus amore viræ,

KITSCHIUS Aonii potator & accola fontis

Heu heu ille etiam sindone pullus adest!

Phœbe tuas iras! Lepidi pater ille leporis

Nil meritis scisis vestibus ire miser!

Phœbe tuas iras! mœstam gerit ille cupressum,

Cujus erat lauri frons redimenda comis!

Siccine tergeminas pateris pie cynthiae Parcas

KITSCHIADÆ facilis pungere mentem

animi?

Siccinè divelli pateris venus aurea quorum

Corpore sub gemino mens fuit una diu?

Nonnè vides doctos ululare salesq; jocosquè

Dummodò singultum KITSCHIUS ore

vomit?

**E**ST matrona tamen, digno dignissima fletu

KITSCHIA, quam volupis nunc paradifus

habet.

Sanguine materno præstans & sanguine paterno

(Numquid enim generis laude vacat bonitas?

Haut





Ipsa quiescat humo, sua sit tibi terra levisque  
KITSCHIA cœlestûm mente jugata choris,  
Iride dum Christus redeat tricolore, cavernis  
Marmoreis iterûm corpus & ossa ligans.  
Jàm verò Domini placitum reverenter adora  
Qui viduæ, KITSCHI, tempora noctis ages,  
Namquè tibi què mihi què, tuis què meis què, suis  
què  
Est mensurandum flebile mortis iter.

*VWitteberga, contestanda compas-*  
*sionis ergò, dicta*

à

PAULO ALBERTI,  
Servestano.

XVI.

ALIUD.

**P**Indi recessus Musici Pater cœtus  
Apollo liquit, funebres & abjectâ  
Lyrâ, gementibus metris canit lessus.  
Pindi penetrat Musicus simul cœtus

Liquit

Liquit, genasque turpat, auream scindit  
Comam, quiritanti ore nenas cantans.  
Cur ista phæbe? Et ista cur novem Musæ  
An KITSCHII, Phæbi decoris & vestri  
Musæ grex Honoris, optimam se væ  
Quod messuit falx curva mortis uxorem,  
Tu Phæbe ploras. Vos sororcula fletis?  
Nempe. Hinc serenus ergò lteratorum  
Ordo dolori indulget & tibi mærens  
Flenti Maritam voce condolet tristi.  
Hinc & mihi, vir clare, Fautor excellens,  
Tî condolenti sorte eâ nimis durâ,  
Dura profectò sorte, claudicat scazon.

In communiõne luctûs  
fundebar.

JOHANNES CREMERUS,  
Silesius SS. Theologia  
Studiofus.

D 2

Morte



XVII.

**M**orte peremta jaces, conjux suavissima,  
 cordis  
 Dimidium nostri, heu! morte peremta  
 jaces.

Quæ mihi subsidium, quæ solamenquæ laborum  
 Nuper & in durâ sorte levamen eras.

Hinc tristi cogor suspiria ducere corde,

Et canas lacrumis contemerare genas.

Cur adeò mœstis complexus ululatibus ædes,

Cordaquæ luctifico plena dolore geris?

Siste, precor, lacrumas perchare! marite, quid ul-  
 tra

Candida sollicitis fletibus ora rigas? (que

Quid juvat ex oculis lacrumas profundere! nam-

Defunctos lacrumæ non revocare queunt

Nôsti in cœlestem quod me præmiseris aulam

Cui nullus mœror, nullus amaror inest.

Mœstum igitur toto depellito corde dolorem,

A lacrumis sibi qui temperat, ille sapit.

Ergò in pace quiesce, marita piissima, summi


Ultima dum veniat Judicis hora Dei

Tunc

Tunc mihi tunc oculis dabitur te cernere coram  
Æternâ tecum lætitiâque frui.

d

Christophoro Teichmanno,  
juniore.



XVIII.

**L**urida morta tibi rapuit, vir Clare, Maritam,  
Heu rapuit sociam, Lurida morta tibi.  
Quæ delectamen fuit & tua sola voluptas,  
Quæ fuit (heu) cordis portio grata tui.  
Quæque fide constans pietate & fervido amore,  
In mœrore tibi pharmaca grata tulit,  
Atque sonis animum defessum mulsit amicis,  
Curarum nubes leniit atque tibi.  
Hinc ortus tantus tibi mœror, plangor & angor,  
Ut sit mors grata ast vita molesta tibi.  
Sed retrahe angorem turbatæ mentis acerbum,  
Quid juvat hic angor? quid lacrymæque? ni-  
Hæc jucunda via est mortali semine natis, (hil.  
Ultima nec quenquam fata redire sinunt,

D 3

Donec



Donec pulcra trahat Mundi textura ruinam  
Auspice trinuno, qui regit astra, Deo,  
Interea lacrymas oculis, animoque dolorem  
Arce, & plangores, ore gemente, tuos.  
Ignea jam luctum solamine mitiget ægrum  
Tristem animumque armet Flaminis aura  
Donec & angustæ linquamus tædia vitæ, (sacri.  
Ornemurque pari gloriâ in arce poli.  
Tunc iterum occurret tibi læta Marita, sonabis  
Atque per omne ævum jubila læta, Vale.

*Animo Condolentissimo observantia*

*ergo offert*

ANDREAS RESIUS,  
Plotzovia-Anhal-  
tinus.

XIX.

IN TUMULUM

*Honestissimæ Matronæ*

CATHARINÆ PFILICKIÆ, &c.

**N***E properes, subsiste parū, venerande viator,  
Cognoscens paucis quam lapis iste tegat.*

*Hic*



*Hic cubo quæ notis quondam Catharina voca-  
bar*

*De Peiliciacâ stirpe oriunda gravi.  
Quam virtus candorq, animi pietasque pudorq,  
Laudibus extollunt, hac ego condor humo.  
Chara fui conjunx, dum vixi & grata marito,  
Sed nunc sum Christo mortua grata magis,  
Cujus ego regno, terrenâ sede relicta,  
Perfruor, atque illi jubila sancta fero.  
Ipsi etenim vixi moriens, ipsi quæ resurgam,  
Ejus & alti sono carmine facta canam.  
Quid gemis ergo? tuum superato Marite dolorẽ,  
Quin capiat finem justa querela suum.  
Sic visum superis: nec me tibi casus ademit,  
Cuncta etenim arbitrio stantq, caduntq, Dei.*

DAVID CUNEMANNUS,  
Serveſta-Anhal-  
tinus.

Πāv



Πᾶν το γινόμενον κατθανεῖν ὀφείλεται.


*Nascentes morimur finisq; ab origine pen-  
det.*

-Anno Seculari.


Dies e MortuALis æternæ est Vitæ  
NataLis sVper æthera Vehens.

F I N I S.
















































Id 4206  
g

ULB Halle

3

004 167 287



f  
Sb

Sik. 18 u. 25 nicht in PICA,  
da Hschr. +90


8-14


24 VD 17

10. Aug.  
Jul. 01

M







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

C. II.

NEBRIA.

tristissimis

RINÆ

KIÆ,

arumque virtutum splen-  
dissimæ

que Præstantis-

KITSCHII,

eneo Philosophiæ

is publici.

issima.

arii 1561.

embris

dem Anno 1623.

Amicis & Studiosis.

emortuæ viduum mæstissimum  
ta & exhibita.

AE  
NIS descripta

ano.

igrat II s repete t Va.

MDC  
LXXVIII